

gelingt, so wird man vorläufig in der Abschrift, welche Pertz angefertigt hat, die einzig vorhandene brauchbare Form der Ueberlieferung erblicken müssen. Unter diesem Gesichtspunkt dürfte es aber angebracht sein, den Brief noch vor dem Erscheinen der neuen Ausgabe der Alkuinbriefe zu veröffentlichen, um ihn so über jeden bösen Zufall zu erheben.

Epistola Albini magistri ad quendam ducem et ad uxorem illius in Francia.

Reminiscens dilectionis vestrae dulcedinem, satis gratulor in Deo, qui mihi licet indigno tam excellentium personarum indulisit familiaritatem, quarum laus et bonitas, a multis ante divulgatae, a nobismet ipsis novissime experte fuerunt; et quod fama narravit, veritas probavit. Hac ego bonitatis et familiaritatis fiducia animatus, litterulas rusticitatis meae vestrae dirigere dignitati praesumpsi. Quas licet atramento stiloque¹ perscriptas, tamen karitate intelligite esse dictatas, quam in nullo spernendam esse puto, maxime quia, ubi karitas manet, ibi Deus regnat. Cuius praecepti excellentiam ipse Deus Christus in evangelio ostendens ait: In hoc enim cognoscent omnes, q[ui]a mei] discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Quid est enim dilectionem habere invicem, nisi mutua ob oratine² sive orationum suffragio vel seculari subsidio nos¹ pro virium qualitate adjuvare invicem? Quapropter primo obsecro, ut parvitatem meam sanctarum orationum solatio sustentare dignemini et¹ meae ammonitionis verba non spernatis. Nec ego quasi ignotus scribo, sed quasi karitatis debita solvo. Nec Moises, dux et legista Israhelitici populi et ipsius Dei eloquio dignus, utilem¹ alienigenae sprexit³ ammonitionem, sed grata suscepit mente, quod utile alienigena⁴ dedit consilium. Ita et vos facere credo, si me alienum¹ quidem vobis utilia fundere cognoscitis. Quae sunt utilia, nisi quae Deus mandavit? Quid est, quod mandavit Deus? Ut breviter ostendit: Deverte a malo et fac bonum. Item per alium prophetam: Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te: facere iudicium et iustitiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Si enim terreno regi sollicite servire debemus, quanto magis regi caelesti! Hoc enimulare servitium saepe dubium est, illud semper certum. Hoc morte finit, illud mercede aeterna remuneratur. Nec mihi opus est quasi nescientibus singula virtutum nomina vobis pandere, sed de earum quasi scientes observatione vos generaliter ammonere. Tamen quod unusquisque intentius amat, hoc saepius audire desiderat. Ideo primo vos ammoneo

1) Dass das Wort so lautet, war nicht mit Sicherheit zu erkennen.

2) So Pertz; vielleicht ist für 'ob oratine' zu lesen 'adhortatione'.

3) Codex: 'sprevit' (Pertz). 4) So Pertz.